



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniæ, 1658

§. 107. Clamaverunt vursum omnes dicentes. v. 40.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45556

Vere nisi homo absolute & exacte iustitiam amet, & directe eam sequatur, certe per ambages & diverticula teneti vix poterit uti hic in Pilato apparet, qui voluit innocentem traditum à ludæis absolvere & tamen iniustos traditores ludæos non offendere. Hinc imprudens illud verbum *Vultis* melius dixisset: *Velitis, oro.* nam nolle illos, ut dimittatur innocens Christus, patet ex iniusta accusatione & antegressa contra eum machinatione rogare autem an quis velit, quod scit eum nolle, videtur mihi nihil esse aliud quam irritare. Tu Deus omnium corda scrutans tua sapientia nos à talibus modis agendi præserva.

§. 107. *Clamaverunt rursus omnes dicentes, v. 40.*

Clamaverant iam semel contra Christum, cum is absolute proponebatur à Pilato. Hoc tacite indicat S. Ioannes in vocula rursus. Postquam ergo non iam solitarie Dominum proposuit, sed iunctum pessimo homini, quis non putasset potius Christum tam beneficum, quam adeo nequam liberatum iri & liberatus tamen non est sanctus, sed impius, quia ludæi non postulabant duce ratione, sed suadente passione, quæ claustrat oculum rationi eorum.

Ecce quo vergat invidia, odiumque Pontificum & Seniorum! suadent & persuadent verbis, donis, promissis, ut populus in electione illis per Præsidem concessa, non petat dimitti letum, sed crucifigi.

§. 108. *Non hunc sed Barabbam. v. 40.*

O ludæorum amentiam! ô furiam phreneticorum! quod argumentis vincere non poterant, clamore extorquere intendunt, & dicunt, Præsidi noli dimittere letum, sed Barabbam; qui teter, horridus, cicatricibus facinorum turpis, minas cædesque spirabat, vultu ac facie referens Archilatonem: Christus Dominus sudore, sputis, alapis deformatus, ac decolor, vestitu modesto adhuc tamen formosus, pulcher, placidus, amabilis, tanta vis boni in ipso aspectu inerat, ut talia ac tanta inquinamenta formam non extinguerent, ut electurus vix posset hæsitare, tamen hic palam Christum laetoni posthabent. Heu infelicissimos ludæos, qui præ Christo impurissimum hominem, nequissimum eligere latronem Barabbam, maximosque insuper clamores super Dominum innocentissimum concitate haud verentur. Quid non facit cæca & perversa hominum malicia!

O Christiani quantum opere metuendum est nobis ne nostra quoque malicia frequenter Barabbam Christo præponamus! quotiescunque vider